8

HENRICI ALBERTI SCHULTENS

ORATIO

DE

FINIBUS LITERARUM ORIENTALIUM PROFERENDIS,

PUBLICE DICTA IN

ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI

DIE 15. NOVEMBRIS MDCCLXXIII.

Cum Ordinariam Linguarum et Antiquitatum Orientalium Profeslionem auſpicaretur.

AMSTELAEDAMI,

Apud PETRUM MORTIER, Civitatis et Illuſtris Athenaei Typographum MDCCLXXIV.

HENRICI ALBERTI SCHULTENS

ORATIO

DE

ELIGENDIS LITERARUM ORIENTALIUM
PROFESSORIBUS.

PUBLICE DICTA IN
ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI

DIE 15. NOVEMBRIS MDCCLXXIII.

Cum Ordinarium Linguarum et Antiquitatum Orientalium
Professorem subjicietur.

AMSTELAEDAMI,

Apud PETRUM MORTIER, Civitatis et Illustris
Athenaei Typographum MDCCLXXIV.

VIRIS

GRAVISSIMIS, AMPLISSIMIS,
URBIS AMSTELAEDAMENSIS

CONSULIBUS,

ET

ATHENAEI ILLUSTRIS

CURATORIBUS,

HANC ORATIONEM EA, QUA PAR
EST, VENERATIONE

D. D. D.

HENRICUS ALBERTUS SCHULTENS.

VIRIS

GRAVISSIMIS, AMPLISSIMIS,

URBIS AMSTELAEDAMENSIS

CONSULIBUS,

ET

ATHENAEI ILLUSTRIS

CURATORIBUS,

HANC ORATIONEM EA, QUA PAR
EST, VENERATIONE

D. D. D.

HENRICUS ALBERTUS SCHULTENS.

HENRICI ALBERTI SCHULTENS

ORATIO

DE

FINIBVS LITERARVM ORIENTALIVM PROFERENDIS.

FLORENTISSIMAE CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS PRAETOR, CONSVLES, ET ATHENAEI ILLVSTRIS CVRATORES, VIRI AMPLISSIMI, NOBILISSIMI.

JVDICES AC SENATORES GRAVISSIMI, QVIQVE IIS A CONSILIIS ET AB ACTIS ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI.

DIVINARVM HVMANARVMQVE SCIENTIARVM PROFESSORES CLARISSIMI.

LECTOR MATHESEOS ATQVE ASTRONOMIÆ ACVTISSIME.

COELESTIVM ORACVLORVM INTERPRETES PLVRIMVM REVERENDI.

QVARVMVIS DISCIPLINARVM ET ARTIVM DOCTORES, VIRI CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI.

CIVES, HOSPITES, CVJVSCVNQVE LOCI AC DIGNITATIS, AVDITORES HONORATISSIMI, EXOPTATISSIMI.

TV DENIQVE LECTA JVVENVM CORONA, ECCLESIAE SPES, ATHENAEI HONOR, PRAECEPTORVM AMOR ATQVE VOLVPTAS.

Quoties artium et ſcientiarum ortum et incrementa attentiore animo conſidero, toties ſaluberrimam, quae plerumque iis obtigit, ſortem, et feliciſſimos, quos ubique fere fecerunt, profectus admiror; et immortales heroas, qui certatim praeclaris ſuis laboribus tantum illis decus et praeſidium conciliarunt, veneror et adoro.

In hac ipſa autem contemplatione dum moror,

quam

quam grave, quam moleſtum mihi accidit literarum Orientalium amatori, non eſſe, quod noſtris quoque Muſis eandem felicitatem gratulari audeamus; neque illas adhuc eo ſe nitore, eo ſplendore praebuiſſe conſpiciendas, quem in aliis intueri licet, quemque cum illarum praeſtantia, tum maximum, quod univerſae eruditioni afferunt, commodum et ornamentum jure flagitare videntur.

Ingrati quidem eſſemus, neque bona noſtra videremur noviſſe, niſi laeti agnoſceremus, debitisque laudibus praedicaremus magnorum ingeniorum, quibus nostrae quoque literae gloriantur, praeſtantiſſima molimina, quae illud quidem effecerunt, ut, discuſſis, quae huic ſtudio offuſae erant, denſiſſimis tenebris, ſplendidior lux adfulgere coeperit, et hi etiam fontes ad omnes diſciplinas humaniores irrigandas aperti ſint atque recluſi.

Sed, ut non omnes eandem ingreſſi ſunt ſemitam, et hoc ſibi praeſtandum ſumſerunt *Erpenii* et *Golii*, illud *Bocharti* et *Pocockii*, alii aliud, ita raro accidisſe videmus, ut, qui illorum actati ſucceſſerint, eodem tramite decurrentes, felicisſime inchoatam harum literarum culturam pari vel ſtudio, vel ſucceſſu, promoverent, et in hunc usque diem propagarent. Dum igitur reliquae artes enituerunt, dum Graecae et Latinae literae continuo labore et nunquam intermisſis principum virorum conatibus ad tantam gloriam evectae ſunt, nobilisſimum Orientalium literarum ſtudium neglectum fere obſolevit.

Et hujus quidem mali ſi fontes indagemus, hic mihi videtur eſſe praecipuus, quod (ut ſumus hominis praejudicatis ſaepe opinionibus imbuti, ſaepius victi) ſtolidis ineptorum hominum clamoribus abripi nos patiamur et deterreri, qui, majorine

du-

dubites inſcitia an arrogantia? ſterile vociferantur et barbarum ſtudium Orientale et perexiguae utilitatis, quod ad illud faſtigium pervenerunt omnes artes et ſcientiae, ut nihil hinc vel praeſidii vel ornamenti exſpectandum eſſe videatur.

Est aliud genus hominum, qui vel falſa veri ſpecie inducti, vel innatae ſibi deſidiae indulgentes, ſic animum inducunt ſuum, aliisque perſuadere conantur, pleraque, ſi non omnia, ab aliis jam eſſe occupata, neque plura ſuperesſe, quibus depromendis operae pretium ſit laborem noſtrum et diligentiam impendere.

Cum itaque ex ratione atque inſtituto muneris, ad quod ab Amplisſimis et Generoſiſſimis hujus Civitatis Conſulibus, et Athenaei Illuſtris Curatoribus honorificentisſime vocatus ſum, ut aliqua ex parte repararem jacturam, quam nuperrime hoc Athenaeum tulit ex morte KOOLHAASII, Viri de S. Philo-

logia praeclare meriti, verba mihi hac hora pro concione ſint facienda, non ingratam vobis, Auditores, judicavi dicendi materiam, neque perſona, quam gero, indignam, ſi inveteratam hanc, ſed ab omni prorſus veritate alienam opinionem refellendam mihi ſumſero, et breviter demonſtravero, amplisſimum iis, qui ſupra vulgus excellere velint, ad has literas excolendas apertum eſſe ſtadium, quod ſi feliciter decurratur, maximum decus ac praeſidium gravioribus disciplinis eſſe acceſſurum.

Dicam igitur *de finibus literarum Orientalium proferendis.* Quod dum facere inſtituo, enixe vos oro obteſtorque, Auditores omnium ordinum Honoratisſimi ut juvenem oratorem in dicendo minime exercitatum, loci praeterea ſplendore, doctisſimorum virorum frequentia, ipſius denique argumenti dignitate graviter commotum, benevolentia veſtra erigere velitis atque ſublevare.

Ut itaque ab eo initium faciam, de cujus utilitate et ſumma neceſsitate inter omnes conſtat, ſtudio nempe Biblico, quod in interpretando et illuſtrando Codice Hebraeo verſatur, multis illud premi difficultatibus, et, licet ipſa Linguae variis ex fontibus illuſtratae cognitio ſordibus, foedisſimaque, qua inquinata erat, barbarie penitus ſit liberata; licet pleraque, quæ jure huc advocantur, ſubſidia a viris doctis excitata ſint & in medium prolata, plurima tamen ſupereſſe dubia, obſcura, quæque clariorem lucem deſiderent, unusquisque, qui vel leviter haec ſacra attigerit, facile animadvertit.

Rei veritatem ut probarem, dicendum eſſet, quantum adhuc luminis ſibi poſtulet ars Grammatica et interior linguæ indoles: quantum adhuc in vera ejus Analogia ex vicinarum Dialectorum collatione eruenda ſit deſudandum: earun-

dem

dem Dialectorum veri uſus eſſent prædicandi: abuſus notandi: Syriacæ in hunc usque diem tam parum excultæ ad illuſtrandas intermortuæ linguæ Hebrææ reliquias idem, quod Arabicæ, jus eſſet vindicandum: Disputandum foret de Verſionum, Paraphraſium, Commentariorum tam veterum Judæorum, quam Chriſtianorum vero pretio: Porro illius Critices, quæ in conſtituenda vera lectione occupatur, ut prudens et modeſtus uſus laudandus eſſet et commendandus, ita reprehendendi ejusdem abuſus atque immoderatum ſtudium, quo luxuriantia ſaepius ingenia veriſimilitudinum blanditiis abripiuntur, et ad conjecturarum velut libidinem deferuntur: Multorum tandem errorum eſſent et fontes oſtendendi et devitationes commonſtrandae, quos alii ignorant; alii dum noſcunt, non ſatis cavent; alii denique dum noscunt et cavere ſciunt, tamen admittunt,

pes-

pesſimo illi obſtricti mentis morbo, ut meliora videant et probent, ſed deteriora ſequantur.

Sentitis igitur Auditores, quanta hic ſit dicendi materia, quam larga undique ſuggeratur rerum copia: ſed eam totam enucleate et pro argumenti dignitate accurate exponere, cum temporis, quibus includor, anguſtiae vetent, ad alia potius me confero.

Dialectorum, ad intelligendam Hebraeam Linguam, utilitatem vix eſt e Philologis noſtris, qui hac noſtra aetate in dubium vocare posſit. Eſt forte unus aut alter, qui de juſto illarum pretio ab aliis non nihil diſſentiat. At illi ipſi antiquarum opinionum tenaciores aliquem tamen fructum ex illarum collatione oriri ultro fatentur. Immo fateri coguntur, niſi data opera coecutire velint et oculos praefracte claudere ad inſigne illud lumen, quod adſtructa validisſimis-

que argumentis probata Dialectorum auctoritate Codici Hebraeo, noſtro imprimis ſeculo accendit, tum Avus meus, vindex atque inſtaurator neglecti hujus ſtudii: cujus immortalia in literas Orientales merita meum non eſt praedicare, cum ejus laudes, vel me tacente, uno ore, ſummo conſenſu celebret orbis eruditus; tum qui in Belgio, in Anglia, in Germania aliisque regionibus pari ſucceſſu ejus veſtigia preſſerunt clariſſimi nominis Philologi quam plurimi.

Cum itaque controverſia careat, eo majorem divinis oraculis conciliari ſplendorem, quo pulchriorem et terſiorem efficiamus Dialectorum faciem, agite, quid ad augendam et amplificandam ipſarum linguarum cognitionem, et ad colluſtrandas inde ſcientias praeſtitum ſit, quidque ulterius praeſtandum, paucis mecum perpendite. Ac primum quidem de Arabum Grammaticis et Lexicographis videamus.

Jam

Jam quod ad ea attinet, quae Arabicae linguae ſtudioſo ſtatim in initio ſunt imbibenda, tantus eſt Grammaticorum numerus, ut illis obruamur fere et quotidie inundemur. Sed in ipſa copia quanta inopia laboramus! In denſo illorum agmine quam pauci ſunt commendatione digni! quam pauci, qui, non dicam nullis, ſed non gravibus laborent defectibus! Quae enim a Maronitis *Gabriele Sionita* et *Joanne Hesronita* in Gallia, a *Martelotto*, *Guadagnolio*, *Metoscita* aliisque in Italia ſuperiore ſeculo in lucem emisſae fuerunt Arabicae linguae Inſtitutiones omnes hoc habent vitii, quod vocabula technica in illis conſervantur, neque loquendi formae Grammaticis propriae auribus noſtris adaptantur, unde neſcio quid obſcuri et impediti ſaepe etiam inficeti exiſtit.

Merito hac in parte caeteris palmam praeripit

ripit immortalis noſter *Thomas Erpenius*, cujus Grammatica praecepta ob miram, qua tradita ſunt, claritatem et facilitatem ſummis ſemper laudibus efferentur. Quae laudes quanto illi jure tribuantur, vosmet ipſos judices capio, Auditores, ubi dixero, ex centenis, qui post illum in Belgio, in Germania et alibi exorti ſunt *Grammaticarum*, *Rudimentorum*, *Inſtitutionum*, *Compendiorum*, *Methodorum* conſarcinatoribus neminem unum fuiſſe, qui non omnia inde hauſerit, totumque *Erpenii* librum ita expreſſerit, ut dictionem quidem ſaepe, idque plerumque in pejus, mutaverit, ſed artem ipſam nulla alicujus momenti obſervatione auxerit vel emendaverit. Neque tamen ipſa haec Erpeniani libri excellentia ab omni naevo prorſus eſt immunis; nam multa in illo abundare, plura deeſſe, et norunt harum literarum periti et ſubinde monuerunt.

Hoc itaque agat, qui de literis noſtris bene mereri cupiat, ut Grammatices nobis tradat compendium breve, perſpicuum, quale eſt *Erpenianum:* Simul vero idem hoc praeſtet, quod in Hebrææ Linguae inſtitutionibus tam feliciter praeſtiterunt recentiores nonnulli, interque eos nuperrime inſigne illud Groninganae Academiae ornamentum, magnus SCHROEDERUS. Augeat ſcilicet, quas adhuc tam paucas habemus, regularum Syntacticarum numerum, quae eo magis ſunt neceſſariae, quo ab Occidentalium linguarum indole longius deflectunt: Analogiae praeterea ex ſororibus Dialectis, Hebraica puta, Chaldäica et Syriaca, quae una eademque matre natae mutuum ſibi praebent auxilium, inveſtigandae curam agat antiquiſſimam; atque ita jucundam illam harmoniam, eundemque ordinem, quem in aliis cernere licet, in Arabica quoque Dialecto conſpiciendum exhibeat.

Sed, ut breve hujusmodi compendium ſufficit tironi praeceptis Grammaticis minime obruendo, ita amplius quid poſtulat ille, qui per prima linguae elementa progreſſus, in interiorem ejus indolem et elegantias altius velit penetrare. Hujus in uſum ipſi fontes ſunt recludendi, ipſa Arabum volumina ſunt producenda, qui quantam, quam prope incredibilem in colluſtrandis ſingulis orationis partibus operam collocaverint, documneto eſſe poteſt ingens Principum Grammaticorum numerus, quem ex *Antiquitatum Arabicarum Hiſtoria* nobis tradidit, qui in conficiendo Bibliothecae Escurialenſis catalogo magna cum laude verſatur, *Michaêl Caſirius.*

Horum cum nulli praeter *Giarumiam*, *Kafiam* et *Abdo-lkahirum* (ſive *libellum*, qui dicitur, *centum regentium*) huc usque ſint editi: praecipui etiam ut *Zamachsjarius*, *Chalilius*, et, cujus

opus

opus caeterorum operibus communi peritiorum judicio praefertur, *Sibouiah* ad Bibliothecas noſtras pervenerint, habet omnino Philologus noſter, quo induſtriam conferat, idemque huic ſtudio afferat emolumentum, quod, editis Grammaticis Graecis et Latinis, utrique linguae exortum fuiſſe merito gaudemus.

Haud minorem curam in excolenda lingua ſua Arabes ipſi impenderunt lexicorum conditores. Innumera profecto ſunt lexica Arabica ditiſſimum linguae theſaurum continentia, ſed abditum et alte latentem, et unde in communem uſum nihil fere erogatum eſt, niſi quod ſuperiore ſeculo eodem ferme tempore ex *Phiruzabadii* et *Gieuharii* fontibus latices quosdam ad nos derivaverint, in Italia *Antonius Giggejus* in Belgio *Jacobus Golius*, aeterna nomina!

Ut vero praeſtat parum quam nihil, ita laetamur

mur et grati agnoscimus magnum, quod Herculeis ſane laboribus rei noſtrae literariae attulerunt, auxilium praeſtantisſimi hi duumviri, quorum veſtigia utinam presſisſent Philologi, qui poſt eos eandem provinciam ornandam ſibi ſumſerunt! Non eſſet ſane, quod de defectu boni Lexici juſtas ederemus querelas.

Quas querelas ne forte alienas putetis, fingite vobis, Auditores, ex lexicis Graecis nihil ad nos perveniſſe, niſi *Heſychii*, *Suidae* aliorumque paucisſimorum verſionem aliquam. Verſionem autem? Imo potius jejuna tantum excerpta ex his operibus deſumta et Latine nobis reddita. Putatisne ad illam gloriam efflorescere potuiſſe Graecas Muſas, ad quam, in lucem protractis ipſorum lexicographorum operibus, pervenerunt? Attendite porro ad incredibilem Arabicae linguae copiam; ad ſingulare illud ſtudium, quo ipſam hanc linguam ſuamet

ipſam natura et indole variis mutationibus ſubjectam indies locupletarunt; ad peculiare denique huic genti ingenium, äeri, quem hauriebant, ipſique vivendi rationi attribuendum, quo in aſſumendis figuris et exornandis dictionibus licentias ſibi ſumebant aliis gentibus incognitas plane et vix concedendas: unde vel non mediocriter his in literis verſatus in legendis auctoribus, non tantum ignota ſaepe vocabula, ſed et integras offendet loquendi formas, ad quas, ignorata propria et genuina verborum ſignificatione, et amiſſo inde metaphorarum filo atque ſerie, aqua ipſi haerebit, iisque impedietur difficultatibus, unde ſe nunquam expediat his ſubſidiis deſtitutus.

Quantum itaque incrementum caperet linguae Arabicae cognitio, ſi tandem aliquando gravem hunc defectum ſarcirent nostri Philologi, et ad ipſos *Phiruzabadii* et *Gieuharii* libros legendos

aditum patefacerent. Si *Ibn Doreidum* nobis exhiberent Philologum et Poëtam eximium, cujus lexicon tribus voluminibus comprehenſum eo potiſſimum reliquis antecellit, quod praeter communes verborum ſignificationes illorum interiorem vim et primam, quae dicitur, poteſtatem accuratius investigavit; in contexendo praeterea rariorum formarum catalogo omnium induſtriam ſuperavit; plurimis tandem optimorum Poëtarum auctoritatibus librum ita inſtruxit, ut ex collectis his fragmentis maximum omni elegantiori doctrinae ornamentum ſit acceſſurum.

His ſi adjungerent *Zamachsjarii* eruditorum ſeculi ſui facile principis praeſtantiſſimum opus, quo per amoeniſſimos Metaphorarum campos exſpatiatus, delectos ſuaviſſimos quosque orationis flores in unum fasciculum elegantiſſime colligavit, invidenda ſorte eſſemus beati, et Philologia Orientalis

talis his praesidiis condecorata, nisi vanus augur sim, opinione celerius caput erigeret.

Ad tertium progredior subsidiorum in excolenda lingua defectum eo quidem majorem, quo pauciora, si modo pauca, doctorum hominum industriae hac in parte debentur; Adagia, nimirum et loquendi formas proverbiales.

Harum vero accurata scientia quem usum habeat in legendis scriptoribus, qui nesciat, arbitror esse neminem. Ut enim perpetua est omnium in unaquaque gente auctorum consuetudo, ut, quae quotidiano usu apud illos teruntur proverbia, ea vel ornatus vel efficaciae caussa suae interspergant orationi, ita ignorata illorum origine atque indole non solum tirones mirum saepe in modum impediuntur, sed ipsi doctiores neque venustatem horum locorum percipiunt, neque veram sententiam assequuntur. Utilissima igitur sunt

eorum inſtituta, qui, collectis et explicatis proverbiis, clavem nobis dederunt ad abſtruſiora et interiora haec adyta referanda, penitusque perluſtranda.

Talibus vero proverbiorum collectionibus editis quod adhucdum careamus, neglecti hujus ſtudii praecipuis cauſſis mihi quidem videtur annumerandum; praeſertim cum immenſus ad eo ſit et ultra fidem fere excrescens adagiorum numerus. Nescio enim, quo amore et ardore abrepti adeo ſint tum omnes Orientales, tum inprimis Arabes, ut non tantum Graecos et Latinos hac in parte multum ſuperent, ſed vix ulla gens reperiatur aliquo modo cum illis comparanda. Cujus rei rationes ex linguae indole, ipſorumque hominum ingenio repetendas uberius nunc enarrare ſuperſedeo.

Habet itaque ampliſſimum ſpatium, per quod

arc-

arctiſſimos fines proferat literarum Orientalium ſtudioſus Colligamus enim, quae a *Scaligero*, *Erpenio* et *Golio* edita ſunt proverbia; addamus, quae haud ita pridem a *Kallio* Profeſſore Hafnienſi in lucem ſunt emiſſa; adjungamus, quae a viris doctis, data occaſione, paſſim ſunt allata, nec credo, male me calculos ſubducturum, ſi millenarium numerum vix aequare, nedum excedere, dixero. At quam tenues hae ſint copiae, ipſi videtis. Niſi chiliades, niſi myriades edantur, nihil nos profeciſſe putemus.

Ne in recenſendo paroemiographorum catalogo longior ſim, omiſſis clariſſimi nominis viris *Thalebita*, *Zamachsjario*, *Abdo-lwahido* aliisque, unum inſtar omnium commemorare liceat *Meidanium*, virum, cui hac in ſtudiorum parte primas omnino deferendas eſſe nemo in literis noſtris vel mediocriter verſatus infitias iverit. Stu-

pendo ſane labore et indefeſſa diligentia collegit praeſtantiſſimus hic Philologus ultra ſex proverbiorum millia: neque collegit tantum, ſed, quo erat judicii acumine, ingenii felicitate, omnisque eruditionis accurata ſcientia, illorum originem eleganter enarravit, interiorem naturam atque vetuſtatem pulchre demonſtravit, ritus, ad quos alludunt, diligentiſſime annotavit, hiſtorias, ex quibus ducta ſunt, ſive veras, ſive fictas, plerumque adjecit, et praeterea tot aliis bonis opus ſuum ditavit, ut veriſſime omnis doctrinae theſaurus appelletur.

Intellexit libri pretium, et inſigne, quod Philologia Orientalis inde caperet incrementum immortale harum Muſarum decus, quo nescio an majorem in Arabicis facile reperias, *Eduardus Pocockius*, qui ſelectiorem ejus partem, quam Latine verterat, ſi per turbulenta, quibus obluctandum

dum ipsi erat, tempora licuisset, neque fata tandem prohibuissent, cum erudito orbe communicare constituerat.

Hunc inchoatum laborem perficere et Pocockianam versionem, quam in nupero itinere ex bibliotheca Bodlejana mihi comparavi, ulterius elaborare, atque adeo totum *Meidanium* luce donare si vestra sub umbra, AMPLISSIMI PROCERES, liceat, fortasse non parum conferam ad literarum Orientalium fines promovendos; certe bonam, quam de me concepistis, opinionem tali conatu ex aliqua parte confirmem.

Perlustratis jam et strictim expositis, quae ad excolendas linguas Orientales adhuc desiderantur, agite, Auditores, quid harum literarum studioso agendum restet ad alias disciplinas, sine quibus sterile est, et nullius pretii totum studium Philologicum, uberiore lumine collustrandas, paucis mecum per-

perpendite. Ac primum quidem de Hiſtoricis agamus.

Quibus in lucem proferendis cum pomoeria noſtra extendi cupio, nolite exiſtimare, me tam coeco illorum amore eſſe abreptum, ut, quae univerſalis inprimis hiſtoriae conditores de aliarum gentium fatis nobis tradiderunt, ſine exceptione commendare, magnumque inde fructum ad nos perventurum eſſe praedicare auſim. Fateor et lubens concedo, in iis, quae de Graecis potiſſimum narrant et Romanis, miſere illos coecutire, quod tantum quidem abeſt, ut vitio illis vertendum ſit, ut contra mireris, unde ipſam hanc rerum, a quarum geſtarum theatro tam procul erant remoti, notitiam haurire potuerint atque derivare.

Ut vero hoc damus, ita viciſſim concedi nobis petimus, non eſſe, unde pleniorem et melio-

rem

rem Orientalis Hiſtoriae ſcientiam acquiramus, quam ab ipſis illis ſcriptoribus, qui in alienis et obſoletis rebus minus verſati domi tamen non peregrinabantur, neque minori quam Graeci et Romani ſtudio hiſtorias ſuas conſignare et poſteritati tradere ſatagebant. Harum vero dignitatem multo verborum ornatu extollere, et in ipſorum ſcriptorum laudes late evagari, ut eſt ab argumento, quod tracto, remotius, ita neque hoc in loco convenit, dicenti coram Auditoribus minime praejudicatis illis, quas vulgus habet, opinionibus imbutis, quique, verum hujus ſtudii pretium intelligentes, miſeram Muſarum noſtrarum conditionem merito mecum dolebunt.

Deplorandam eſſe ſortem fatebimini, ubi audiveritis, ex centenis optimae notae ſcriptoribus tum univerſalis tum particularis hiſtoriae non eſſe plures in lucem emiſſos, (piget referre,) quam,

ſi vel omnia huc congeſſerimus, ſeptem. *Abulpharagium* ſcilicet, et, quo facile carere poſſemus, *Eutychium*, *Elmacini hiſtoriam Saracenicam*, *Arabſhiadis vitam Timuri*, *Bohaddini* tandem *vitam Saladini* cum excerptis quibusdam ex *Abulfeda* et *Ispahanenſi*.

Immortales quidem *Herbelotii*, *Pocockii*, *Aſſemanni*, *Fourmontii*, *de Guignes*, *Reiskii*, *Hiſtoriae Catholicae Scriptorum Anglorum*, aliorumque labores illud effecerunt, ut capitalem hunc defectum minus quodammodo ſentiamus; et ex iis, quae copioſe ſatis et accurate ex Arabum monumentis depromta nobis exhibuerunt, is quidem fructus redundavit, ut in memorabili hujus gentis hiſtoria non omnino tanquam hospites erremus.

Sed, (ne jam illud commemorem, in quo vos omnes mecum habeo conſentientes, ex ipſo fonte,

fonte, ut eſt in veteri proverbio, aquas bibi dulcius) quemadmodum beatus quidem dici meretur, qui ex ſpiſſa, qua involutus erat, caligine aliquam ſibi lucem oriri perſentiscit, plenum vero lumen haud procul a ſe poſitum variis difficultatibus impeditus cum attingere nequeat, in ipſa beatitate infelicem vitam degit, ita laetamur quidem, egregiis horum virorum conatibus dispulſas fuiſſe, quae totum hoc coelum obduxerant, nubes, ſimul vero dolemus triſte fatum, quo necdum omnes ſunt fugatae, gratamque ſerenitatem eo cupidius et impatientius exſpectamus, quo propiorem nobis conſpicimus, et paratu faciliorem.

Proferantur itaque, quae hactenus tantum non cum tineis et blattis luctata ſunt, ipſa Hiſtoricorum Orientalium volumina. Edatur *Abulfedae* praeſtantiſſimum opus. Prodeat, quem grandem ver-

bis, crebrum ſententiis, compreſſione rerum brevem jure *Thucydidi* compares, *Ispahanenſis*. In lucem emittatur ex *Nuweirio*, quo incomparabili theſauro gloriatur Bibliotheca Leidenſis, pars hiſtorica. Ab oblivione vindicentur *Khondemirius*, *Ibn Kotaibah*, *Ibn Doreidus*, *Macrizius*, *Ben Giuzi* aliique quam plurimi, quos, ne aures veſtras inſolitorum nominum recenſione fatigem, commemorare ſuperſedeo.

Haec ſi monumenta habeamus, poterunt quae ſuperficiaria adhuc cognitione comprehendimus accuratius cognosci et melius; poterunt inſignes, quibus ſcatent hiſtorici Occidentales, hiatus deprehendi atque ſuppleri; poterunt ea, quae ex male intellectis fontibus irrepſerunt dubia, obſcura, putide ſaepe fabuloſa detegi et ad juſtam veritatis normam revocari; poterunt tandem graviſſimi errores removeri, quos in bellorum vel aliarum

rerum geſtarum memoria ſive ex inſcitia ſive partium ſtudio commisſos esſe, ſaepius eſt, quod ſuspiceris. Cujus rei luculentum, niſi ſpes fallat, dabitur exemplum, ubi prodierit celebratisſimi belli Sacri, de quo ſolos fere Chriſtianos huc usque audivimus loquentes, ex Arabicis fontibus hauſta narratio, quam a doctisſimo Patre Benedictino Pariſienſi *Bertherau* parari, non ſine voluptate cognovimus.

Quemadmodum vero, ubi in Hiſtoriarum ſtudio rite velimus progredi, ipſarum regionum et urbium, quae rerum geſtarum theatrum conſtituunt, natura et indoles probe ſunt noscendae, ita vaſtisſimus hic patet campus, per quem literarum nc-ſtrarum fines extendendi ſunt et ulterius proferendi.

Grato quidem animo praedicare oportet, qui hac in palaeſtra deſudarunt, et vel editis auctorum fragmentis, vel exhibitis, quas ex ipſis fon-

tibus hauſerant, propriis lucubrationibus, praeclare de hoc ſtudio meriti ſunt, doctisſimos viros, *Golium*, *Herbelotum*, *Gravium*, *Gagnierium*, *Eruditos plures Germanos*, et, qui nuperrime omnium ex itinere in Arabiam juſſu Regis Daniae ſuſcepto ſolus redux, ingentem, quam comitum ejus morte jacturam fecimus quodammodo reſtituit, *Niebuhrium*, cujus tum elegantisſima Arabiae deſcriptio, tum accuratisſimae ejus regionis tabulae tantum lumen huic Geographiae parti attulerunt, ut nihil, quod quis magnopere requirat, ſuperesſe videatur.

Sed dum alii peculiari tantum alicujus regionis deſcriptione fuerunt occupati, alii aliud agentes, data ſolum occaſione, obſervationes quasdam Geographicas libris ſuis interſperſerunt, videtis, juſta eſſe deſideria, quibus totum hujus ſtudii ab ipſis Orientalibus egregie exculti ambitum contemplari cupimus et ſerio optamus. Uti-

Utinam, Auditores quas ſuo jam tempore de praeſtantiſſimorum Geographorum Orientalium voluminibus Bibliothecarum latebris incluſis querelas movit Arabismi pater *Erpenius*, eae noſtris diebus non eſſent repetendae! Utinam nobis liceret eſſe tam beatis, ut ex doctisſimis illorum laboribus aliqui ſaltem in lucem ex tenebris proferrentur, unde integram Geographiam Orientalem cognoscendi copia daretur, gravisſimaque offendicula, ad quae in inveſtigandis horum populorum hiſtoriis toties impingere ſolemus atque cespitare, tolli posſent penitusque removeri.

Ex celebratisſimis auctoribus, quibus merito annumerandi *Iacutus Hamatenus*, *Alkazwini*, *Al Edriſi* aliique quam plurimi, illum praeſertim nobis exhiberi cuperem, quem modo inter Hiſtoricorum principes commemoravimus, *Ismaëlem Abulfedam*. Hujus doctisſimi principis (*Hamae*

enim

enim ſive *Hamatae*, urbis in Syria haud ignobilis, regnum tenuit) Canon Geographicus eo praeſertim commendandus eſt, caeterisque palmam praeripit, quod magno delectu, quae in optimis libris paſſim erant diſperſa excerpſit, neque minore judicio in compendium artificioſiſſime contextum redegit; quam de hoc opere, cujus editionem a *Gagnierio* A. M. Oxonienſe ſuſceptam morte ejus interpellatam fuiſſe jure dolemus, ſententiam ſatis confirmant tum quæ ipſe *Gagnierius*, tum, quæ alii viri docti diverſis temporibus inde nobis depromſerunt, ſpecimina. — Satis de Geographia: ad alia deinceps tranſeamus.

Et hic ſuſceptæ materiæ ordo eo me ducit, ut oſtendam, quantum luminis ex Philoſophorum Orientalium ſcriptis univerſae eruditioni ſit inferendum.

De Philoſophis ubi verba facere incipio, erunt fortaſſe inter vos, Auditores, qui ſecum cogitent:

Vi-

Vides hominem coeco literarum, quas profitetur, amore adeo abreptum, ut Muſas ſuas ubivis intrudere, ſimilique arrogantia, quam in jactandis panaceis adhibere ſolent circumforanei, ex veterum Orientalium ſcriptis excolendae Philoſophiae ad tantum hoc ſeculo culmen evectae praeſidium peti poſſe, aſſerere haud vereatur.

Sed ut ab omni partium ſtudio, et ante captis quibuscumque opinionibus eſſe cupio liberrimus, ita nunquam committam, ut hoc nomine jure accuſer, utque maxima, ignorantia dicam an impudentia? omnem, quam late patet, Philoſophiam ex fontibus noſtris incrementa capere poſſe, confidenter affirmem.

Profecto non is ego ſum, qui in Metaphyſicis Logicisve disciplinis aliquid Orientalibus tribuam. Ut quidquid in his artibus profecerunt Graecis unice debent, ita quae de ſuo addiderunt, falſa

plerumque aut erroris plena, aut non ejus ſunt momenti, ut inſignem inde fructum exſpectare liceat.

Neque de morali, quae dicitur, illorum Philoſophia magnificentius ſentio; Habent quidem ſententiarum, apophthegmatum, aenigmatum, apologorum, exemplorum, incredibilem vim atque copiam, quae omnia Ethica continent praecepta et monita ſaluberrima.

Sed diſſolutae hae ſcopae tantum abeſt, ut pulcherrimo hujus doctrinae aedificio, quod, poſt jacta a veteribus fundamenta, a recentioribus tam laute exſtructum videmus, aliquid afferrent decoris et ornamenti, ut contra, cum nihil in illis ſuperesſe videatur, quod non melius teneamus, integram ſtructuram partium ſuperfluarum congerie potius eſſent dedecoraturae.

Haec licet concedam, non tamen de illa Philoſophiae parte eadem mihi ſedet ſententia, quae

tum

tum in recondito Matheſeos ſtudio, tum in ſiderum magnitudine, intervallis, meatibusque obſervandis, in animalium denique, plantarum et metallorum natura inveſtiganda potisſimum verſatur; et in Orientalium monumentis plurima ſuperesſe, unde excellentisſimae hae ſcientiae, ſi non augentur, at ornentur et copioſo lumine colluſtrentur, nullus equidem dubito.

Aſtronomiam quidem, ut inde ordiar, quanto ſtudio excoluerint Arabes nemo eſt humanior, qui ignoret. Nemo in regione, quam habitabant, hoſpes adeo et peregrinus, quin noverit, quanto opere ſtellarum motibus mutationibusque obſervandis faverit tum coelum, ſub quo degebant, lucidum et ſerenum, tum ipſa vivendi ratio, qua, dum urentem per diem Solem evitabant, foris plerumque pernoctantibus molli otio frui concedebatur. Nemo tandem ita omnis hiſtoriae literariae expers, cui non

ſtatim ſuccurrant *Al Manſoris*, *Harunis Al Rashidi* alicrumque ex *Abbaſidarum* familia *Califarum*, magni inprimis *Al Mamunis* laudatiſſima nomina, qui, revocari jusſis, quae longo tempore neglectae jacuerant artibus ſcientiisque, et in aulam vocatis, qui hic illic diſperſi in obſcuro latitabant, hominibus literatis et Philoſophis eximiis, exemplo ſuo oſtenderunt, quantum praeſidii Muſis ſitum ſit in doctis Maecenatibus; quorumque ſub auſpiciis tum aliae disciplinae, tum Aſtronomia praeſertim tam inſigne ceperunt incrementum, ut merito gloriari liceat, non eſſe ullam gentem, quae in univerſa eruditionis ſuae hiſtoria epocham exhibere posſit celerrimis ſcientiarum progresſibus aeque celebratam.

Geometriam, Arithmeticam, Algebram, caeterasque, quae ad doctrinam Mathematicam pertinent, ſcientias quantopere in deliciis habuerint

Orien-

Orientales, quanto ſtudio illas excoluerint, quanta felicitate ab aliis male obſervata emendaverint, nova de ſuo addiderint, uberius demonſtrare nunc quidem eo minus neceſſe duco, quo magis mihi perſuadeo, neminem unum, qui cum Arabicis monumentis aliquam familiaritatem contraxerit, de re adeo teſtata dubitare poſſe.

Exitum haud inveniret oratio, ſi praeſtantiſſimorum, qui hoc et ſequentibus temporibus floruerunt, Philoſophorum catalogum contexere aggrederer. Immenſus eſt et omnem fere fidem ſuperans, quem in *Eſcurialenſi* coenobio latere ex doctiſſimo *Caſirii* opere didicimus, horum voluminum numerus. Quot *Bodlejana* recondit bibliotheca! Quot *Regia Pariſina*, *Vaticana*, aliaeque hujusmodi literariae gazae! Quantam illorum copiam vel una continet *Bibliotheca Leidenſis*! quae omnia vindicem avide exſpectant, cujus

tandem opera ex tenebris protrahantur.

Quid referam *Thabetum Ebn Korrah* Medicinae aeque ac Mathematicè omnisque Philoſophiae peritia inſignem? Quid *Abu Maaſcharum* Aſtronomorum ſeculi ſui facile principem? Quid de *Jahia Ebn Manſur* loquar? Quid de *Ebn Zarcalli?* Nota ſunt vobis omnibus *Al Farabii*, *Jacobi Alkendii*, *Ebn Bayae*, *Averroïs*, *Al Ferganii* nunquam intermoritura nomina. Mitto caeteros haud minore fama et eruditionis laude conſpicuos.

Quantum igitur decoris, quantum ornamenti, quantum luminis his disciplinis acceſſurum fore putatis, ubi exoriatur tandem aliquis vel Orientales linguas callens Mathematicus, vel qui has ſcientias rite tractaſſet Philologus, cujus opera et ſtudio egregia per aſſiduos multorum ſeculorum labores inventa et elucubrata in communem utilitatem proferantur.

Satis de doctrina Mathematica. Ad aliam propero eruditionis partem, in qua haud pauciora, quam in reliquis, harum literarum ſtudioſo ſuperſunt praeſtanda, Hiſtoriam puta Naturalem.

Praeter utilitatem, quae ex rite exculta et amplificata hac disciplina in univerſam eruditionem late redundat, habet praeterea illud ſibi proprium et peculiare hiſtoriae naturalis ſcientia, ut ob, frequentem animalium, plantarum, lapidumque in Sacro Codice mentionem, divinis his libris explicandis mirifice conducat, adeoque ei, qui boni Theologi ſplendido nomine ornari geſtiat, quam maxime ſit expetenda.

Ad omnium fere artium et ſcientiarum initia ubi animum advertimus, obſervare licet, quanti plerumque viri fuerint illarum inſtauratores, quantis vel ingenii vel eruditionis opibus abundantes. Quod quare miremur nihil eſt, cum avia haec

loca

loca peragrare vulgaribus et de plebe ingeniis sit negatum.

Sed mirari saepe numero subit, ea cum sit humanae naturae imperfecta conditio, ut ad scientiae alicujus culmen pervenire uni homini, vel maximo, nunquam concedatur, quid tandem causae sit, cur, quae feliciter a tantis viris sunt inchoata, deinceps neglecta jaceant, et, qui post abundantissimam messem superstites spicas eadem diligentia colligat, nunquam fere priori similis heros existat.

Quod, ut aliunde petitis exemplis probare haud esset difficile, ita tantum velim attendatis ad ipsam, de qua nunc differimus, scientiam. Fuit, qui Botanicam Sacram illustrandam sibi sumeret, Sueciae insigne ornamentum, *Olaüs Celsius*. Fuit, qui animalium Sacrae Scripturae proprietates explicaret, Vir Summus, non modo eorum hominum,

qui

qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam ſtupenda eruditione ſuperans, incomparabilis *Samuel Bochartus*.

Inſtauratum quidem et praeclare excultum utiliſſimum ſtudium neutiquam tamen exhauſerunt praeſtantiſſimi duumviri; et, quo plura relinquerunt aliis perſequenda, eo magis dolendum, ardorem, qui immortalibus illorum operibus excitari debuiſſet, ita penitus deſerbuiſſe et deſedisſe, ut etiam nunc unici ſint in ſuo genere et amplisſimum hunc agrum ſoli exercuerint.

Laboranti ſcientiae etſi nonnullas ſuppetias ferunt diligentisſimorum peregrinatorum, quales ſunt *Thevenotius*, *D'Arvieux*, *Chardinius*, *Shawius*, *Richardus Pococke*, *Niebuhrius* aliique, recentiora obſervata, tamen neque totum hiſtoriae naturalis ambitum comprehendunt, neque ſupplent defectus, qui cum in animalium et plantarum hiſtoria, etiam poſt *Bochartum* et *Celſium*, tum

in lapidum, gemmarumque descriptione supersunt quam plurimi.

Ipsi aperiendi sunt, ex quibus sitim restinguere detur, Orientalium fontes. Quanta hic clarissimorum auctorum, suis singuli meritis insignium, copia! Quam egregie, praeter *Damirium*, animalium generationem, aetatem, victum, et proprietates explicuerunt *Ibn Waschiah*, *Muhammed Ebn Muhammed Cazwinensis*, *Nuweirius!* Quantum rei herbariae lumen affulgeret tum ex ejusdem *Nuweirii* parte botanica, tum in primis ex *Beitharide*, qui septimo Hegirae seculo exemplo *Plinii* aliorumque Philosophorum incitatus ubi ad perfectam plantarum cognitionem sibi comparandam Orientales, Occidentalesque plagas et maxime Graeciam diuturnis itineribus peragraverat, peritissimosque viros avide consuluerat, immortale opus posteritati tradidit, in quo praeter lapidum, metallorum, et animalium elegantem descriptionem, de plantis prae-

ſertim ita agit, ut obſcura paſim et dubia *Dioſcoridis* et *Galeni* loca illuſtret, variaque addat a Graecis ſilentio praetermiſſa, ſummo labore a ſe inventa.

Quantum tandem naturali Aegypti Hiſtoriae praeſidium ſperandum cum ex majoribus *Macrizii* voluminibus, tum ex minoris molis libello, quem de celebratiſſima hac gente ſcripſit *Abdollatiphus*, ſeculo duodecimo noſtrae aerae clarus; cujus eximii operis, ab *Eduardi Pocockii* filio latinitate donati, edendi cum ſpem nobis fecerit Reverendus, multisque mihi nominibus aeternum devenerandus *Thomas Hunt*, Muſarum Arabicarum maximum in *Anglia* decus, ſerio exoptamus, ut fidem liberet doctiſſimus Senex, gratiſſimoque munere eruditum orbem ſibi devincire pergat.

Sed quo longius in altum evehor, eo major orationis curſus oſtenditur. Multa dixi; at ne dimidiam quidem uberrimae, quam argumentum

ſuppeditat, materiae partem exhauſi. De Theologis, de Jurisconſultis, de Medicis, de Poëtis dicenda ſuperſunt quam plurima. Quid Graecorum auctorum verſiones Arabicae prodeſſe poſſint vel ad libros, qui interciderunt, reſtituendos, vel ad ſuperſtites redintegrandos, pluribus eſſet disputandum. Quid harum literarum cultori in *Syriaca*, *Aethiopica*, *Samaritana*, quid in *Perſica*, *Turcica* caeterisque Linguis Orientalibus agendum reſtet, ſi enumerare aggrederer, dies me, non dicendi copia, deficeret. Sed diutius his immorari verecundia vetat; et qui jam ultra quam decebat, in Arabicis vos detinuiſſe mihi videor, ad ea, quae hujus diei ſollemnitas poſtulat, potius me confero.

Ad vos itaque mea ſe convertit oratio, Illuſtriſſimi et Amplisſimi hujus Civitatis Conſules, et Athenaei Curatores Munificentisſimi.

Quod ab optimo Parente crebro mihi inculcatum

eſt

eſt, tum demum poſſe literarum Orientalium fines ab uno homine proferri, ſi aliis negotiis ſolutus illud unum ageret, huc, ceteris misſis, omnem curam, operam, cogitationem conferret, id cum alta ſemper mente repoſitum ſederet, nihil magis exoptabam, quam ut talem nanciscerer vitae conditionem, quae meas me delicias excolere ſineret, et aditum patefaceret ad illam gloriam conſequendam, quam animo conceperam.

Quo itaque animo me eſſe putatis, Viri Amplisſimi, quorum benevolentia votorum compos factus ſum, et hanc tam beatam ſortem teneo? Sentio, quantum, quam inſigne, ſit hoc beneficium: At ſimul ſentio, nec ſine gravi animi commotione, quam multa requirantur, tum ad laudis, quam affero, domeſticae, et nominis, quod gero, celebritatem tuendam, tum inprimis ad nobilem, quam provida veſtra cura mihi demandavit, ſpartam ita ornandam, ut exſpectationem de abſente et non-

dum veſtro conceptam, jam praeſens, jam veſtre ipſa ſustineam.

Verum tamen animum despondere nefas eſt. Illud ſancte polliceor, me quidquid eſt aetatis, quidquid eſt virium, quidquid eſt ingenii eo collaturum, ut huic veſtrae de me et ſtudiis meis exiſtimationi ſatisfaciam; huc omnes meas rationes redituras, ut ita ſemper agam, ne beneficiorum in me collatorum vos unquam poenietat.

Deum Ter Optimum Maximum ſupplex veneror, ut vos, nobiliſſimasque veſtras familias diu ſospites conſervet et incolumes, in florentiſſimae hujus Civitatis commodum, bonorum omnium gaudium, verae eruditionis incrementa, et Athenaei Illuſtris gloriam.

Vos quoque mihi compellandi eſtis, Profeſſores Clariſſimi, ſplendida hujus Athenaei lumina. In ordinem veſtrum admittite hominem aetate et doctrina vobis inferiorem, quique maximo ſibi honori

ducet, ſi artiore vobis collegii vinculo conjunctus de veſtrae doctrinae et conſilii lumine lumen ſuum accendere poterit. Nolite benivolentiam veſtram amicitiamque negare ei, cui certum deliberatumque eſt cum officioſis certare officio et obſequio, cum candidis germano candore, et morum ſimplicitate, cum pacis ſtudioſis concordiae amore.

Et ne haec mea praedicatio nimis ampla et quaſi perfecti cujusdam hominis eſſe videatur, quid in his natura humana plerumque praeſtare valeat, facile intelligo. Attamen, quoniam omnia haec humanitatis officia in quolibet veſtrum tam luculenter exſtare video, ut nemo ſit, qui hisce virtutibus non excellat, in hisce naviter efficiendis me comitem fero, vos duces ſequar; ut hoc noſtrum Athenaeum non ſolum eruditione, ſed etiam morum elegantia et vitae bene inſtitutae moderatione caeteris palmam praeripiat.

Ad

Ad vos tandem me confero, florentisſima Juvenum corona, Eccleſiae ſpes, Parentum ac Praeceptorum dec us.

Quos jam expertus novi praeclaro ſtudio ita incendi, ut nihil ſibi antiquius putent, quam in iis elaborare, quae ad omnem elegantiorem doctrinam pertinent, non opus eſt, ut ad excolendas quoque Orientales literas excitem et adhorter. Pergite, egregii Commilitones, et tenete hoc tam neceſsarium, atque etiam haud dubie utile vobis futurum ſtudium, neque ullius clamoribus inde vos deterreri patiamini. Sed nobili, ſed regia via incedentes ad illam gloriam contendite, quae perpetua improbi laboris et ſtudii bene ſuscepti comes eſt. Ego, quodcunque in me eſt vobis dicare, veſtrisque commodis inſervire, nunquam deſiſtam. Vos aſſiduitate veſtra et diligentia ſtimulos mihi addite, ad id, quod propoſui, rite exſequendum.

D I X I.

LAUDIS DOMESTICAE
DIGNO HEREDI,
H. A. SCHULTENS,
QUUM LINGUARUM ET ANTIQUITATUM ORIENTALIUM PROFESSIONEM SUSCIPERET AMSTELAEDAMI.

Te fortunatis Panchaia conſita ſylvis,
Et pinguis glebae munere terra ferax;
Vos Solymae teſtor cineres, Gazaeque ruinas,
Quique ab Idumaeâ ſtirpe remanſit honos;
Quaeque ſtupet Nilus, ditisſima regna Canopi,
Cum rapido effuſas gurgite tardat aquas;
Priscaque magnificis Palmyrae nixa columnis
Atria, ruderibus vix bene nota ſuis;
Et te penſilibus Babylon ornata viretis,
Qua media Euphratis dividit unda domos;
Et profecta Tyro, Romani nominis horror,
Te teſtor, domito gens animoſa ſalo!
Ecquid erit pretii, ſi, quod fuscaverat aetas,
Memnonio radiet majus ab orbe jubar?
Ecquid erit pretii, ſi priſtina fama reſurgat,
Linguaque, cum populis paene ſepulta ſuis?

Sa-

Sacraque divinos agnoscens Pagina cultus
Lumine mortales ſplendidiore trahat?
Suſtinet una domus tantum SCHULTENSIA victrix,
Una ſibi proprium vindicat illud opus.
Illa Palaeſtinae relegens monumenta ruinae
Non ſinit haec tacita condita nocte premi.
Illa domus denſas tandem indignata tenebras
Diſpulit, et laetum retulit una diem.
Primus avus tantae ſuſcepit praemia laudis,
Primus et intacto tramite fecit iter.
Quod pater ingreſſus linguae pomoeria differt,
Atque Arabum Eoas fonte recludit opes.
Filius huic comes eſt, quem magni nomen honoris
Excitat, et generis ſplendida fama ſui.
Huic ſit Orontea juveni de fronde corona;
Hunc operis tanti meta ſuprema manet.
Cumque diu jaceat veteris doctrina Sabaei,
Cum ſua et ingenii non bona norit Arabs;
Ille per Europam Nabathaeas eriget artes,
Et Solymae oblitum ducet ad aſtra decus.
Auguror! Eoas Libani de vertice Muſas
Tertius in patrios transferet ille lares.

HIERONYMUS DE BOSCH.

VIRO CELEBERRIMO

H. A. SCHULTENS,

ORDINARIAM LINGUARUM ORIENTALIUM PROFESSIONEM,

IN ILLUSTRI AMSTELAEDAMENSIUM ATHENAEO,

ELEGANTISSIMA ORATIONE DE FINIBUS LITERARUM ORIENTALIUM PROFERENDIS AUSPICANTI.

Cum fera barbaries, Stygiis emissa tenebris
Pestis, Agenoreo tolleret orbe caput,
Jamque sacris nusquam lucerent atria flammis
Palladis, inmani praeda relicta Gotho;

Ip-

Ipſaque, qua quondam ſteterant ſacraria Phoebi,

Roma peregrino coeperat ore loqui;

Indignata nefas tantum dea, regna ruinis

Tetra ſuis fugiens, Memnonis arva petit.

Hic ubi dives Arabs ſtillantia balſama ſilvis

Colligit, et celſis cinnama culta jugis.

Qua placido ridet ſemper Saturnia vultu,

Foetaque odorata meſſe ſuperbit humus.

Quaque, rigans rapido ſitientia pascua ſole,

Ludit in herboſis defluus amnis agris.

Inde tot ingenii quondam haec miracula tellus

Protulit, ingeniis aemula, Roma, tuis.

Teſtor in inmenſo rutilantia ſidera coelo,

Sidera Panchaeis currere juſſa viis.

Vosque, Machaonia, certo ſe opponere leto

Quos docuit, ſcaevas fallere et arte deas.

Tum

Tum quaecunque oculo pandit Natura ſagaci
Mira, Sabaee, tuis apta theatra ſophis.
Nam ſeu plantarum latitantes quaerere vires,
Lenimen morbis quaeve ſit herba, lubet:
Seu magis aeternas mundi cognoscere leges,
Multaque, quae, vulgo non adeunda, latent;
Cur ſalſi fluctus? queis ardens ignibus intus,
In ſua dum ſaevit viscera, terra tremit?
Ultima cur vocis repetit reſonabilis Echo?
Perpetua frigent cur juga celſa nive?
Ipſe ſuo Phoebus, fraterno lumine Phoebe
Cur micat? et certis itque reditque viis?
Hic tua praeclari gens jactat Averrois auſa,
Digna Stagiraei ſaecla videre ſenis.
Hic Mezue, hic Honain, tuus hic Damirius olim
Prodidit artificis ſumma tenentis opes.

Hoc

Hoc Avicenna ſuas quaeſivit pulvere palmas;

Lux Sophiae per quem, quae fuit ante, redit.

Atque alii centum, terrae decora alta Sabaeae,

Turiferum manſit dum ſua fama ſolum.

Ast ubi Panchaei tam culta novalia miles

Calcarat celeri Turca timendus equo;

Haec quoque cum Patriae pariter jacuere ruinis

Scripta, vel extremum vivere digna diem.

Quo mage SCHULTENSI dudum ſuper ignea vectus

Sidera, nunc ſua poſt fata, perennat honos.

Perpetuum qui tot docti monumenta laboris

Non tulit inmundo tecta jacere ſitu;

Quemque, puer veteres cum noſſet, quidquid Athenae,

Quicquid habet Latii gloria Roma ſoli,

Non tamen et Claria praecinctum fronde capillos

Dedecuit Libani vertice lecta cedrus.

Primus at, Aonidum Nabathaei nata viretis
Munera, Jesſaeae duxit ad arva domus.
Irriguumque Arnon, lentas Jordanis et undas
Purpurei largis aequoris auxit aquis.
Protinus en, tenebrae quae ſacra volumina Jobi
Foedarant celeri terga dedere fuga.
Ipſaque fidereo reſplendens candida peplo
Relligio exortum eſt devenerata jubar.
Salvete Herois Manes, quo vindice, Chriſto
Gens pia devotos gaudet adire focos.
Auſpice quo Solyme veteres oblita labores
In cineres totam ſe negat iſſe leves.
Inque novas prolem ſurgentem cernite laurus
Ut meritis veſtrum ſe probat eſſe genus.
Ut parili laudis, parili virtutis amore
Uritur, ut magnum reddere fervet avum.

Ut Patris exemplo, ſtimulisque animoſus avitis,
Incoeptum proavis, non minus urget opus.
Ut raram ſtupet Ya viri, ſtupet Amſtela ſuadam,
Quaque patet ripis plaudit uterque ſuis.
Ut decus ingenio partum gratulatur alumno,
Nec premit in tacito gaudia Leida ſinu.
Fallor? an haec tacitas ubi fama advenerit oras,
Elyſio exultas, nobilis umbra, ſolo?
Et licet invideant vultum tibi fata nepotis,
Ingenii agnoſces inſtar, et auſa tui?
At tu tot lauris claram meritisque tuorum,
Perge, HENRICE, tuam condecorare domum.
Sic tibi crescat honos; magnum, virtutibus olim
Sic referas Batavis, magna ſecutus, avum!
In tua crudeles ſic ſtamina ſacra Camenis,
Atropos indoleat nil valuiſſe manus!

Gloria

Gloria ſed, fati domitrix, domitrixque ſepulcri,

Det tibi Lethaeae vincere flumen aquae.

Utque tuum, columenque ſuum, famamque fatetur

Leida, optatque diu posſit ut eſſe, genus;

Sic mage turgentes volvens ad moenia fluctus,

HENRICVM jactet naviger Ya ſuum.

MATTHIAS TEMMINCK.

VIRO CLARISSIMO
HENRICO ALBERTO SCHVLTENS,
PROFESSIONEM
LINGVARUM ET ANTIQVITATVM ORIENTALIVM
APUD AMSTELAEDAMENSES
AUSPICANTI.

A

SCHULTENSI Manes, ſacrata ſede repoſti,
Et cineres magni quae tegis urna Viri;
Quam frondes oleae ſemper viridantis obumbrant,
Et Libani aërio vertice nata cedrus:
Umbraque quam Solymae venerantur et arva Sabaea,
Et qui Panchaei thuris abundat Arabs:
Ecquid in Elyſias valles jam fama Nepotis
Pervenit, meritis tam bene parta ſuis:
Illius Eloquii numquid penetravit ad aures,
Nuper ab Amſteliis ſuada probata meis.
Cum per Idumaeos iret facundia campos,
Ferret et Eois orgia prima choris:
Ingenioque ſagax Chaldaeos undique fines
Panderet, illuſtrans ſingula luce nova.
Doctus et excuteret Syriae discrimina linguae,
Aut Arabo Hebraeas fonte rigaret opes.

ô Te felicem! cui primae flore juventae
Vernantes hederae circuïere comas.
Qui per Avi certo magni veſtigia greſſu,
Exemploque Patris ferre tropaea paras.
Haec ſtimulos animo fubdent, acuentque labores,
Ut tibi ſit ſimili palma petenda jugo.
Haec tibi per tenebras, ceu lucida ſigna, patentem
Monſtrabunt, certo tramite, fida viam.
Macte tuo genio, qui per molimina avita,
Quo te Fama vocat publica, tendis iter.
Aemula Memnonium tua gloria pervolat orbem,
Atque Arabum partus regna pererrat honos.
Te tellus Nabathaea colit, tua nomina Memphis
Evehit, et docto laus Oriente patet.
Perſonat Aſſyrios virtus SCHVLTENSIA fines,
Qua celer Euphrates, qua Tigris amne fluit.
Jam, te digna, parat tibi munera dives Idume,
Et jam verna tuum cingit oliva caput.
Excipit egregium te felix Amſtela civem,
Laetus et irriguas tollit ab amne comas.
Fronte ſerenata te Pallas in urbe ſalutat,
Quem gaudet ſacris adſeruiſſe ſuis.
Divaque collaudat ſuffragia provida Patrum,
Et tibi manſurum ſpondet amica decus.
Sic, Duce te, tandem projecta glande juventus
Frugibus adſuescat ſe ſatiare bonis.

FRANCISCVS PETRVS BVRMANNVS.

1

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Schultens, Henrik Albert

Oratio de finibus literarum orientalium proferendis

Amstelodamum 1774

4 A.or. 140#Beibd.8
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10218833-6